BIBLIA LATINA, BD. 1

Salzburg (?), 2. Viertel 14. Jh.

Seite 364v

Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8250
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

non solum librorum numero sed etiam materiarum genere coequaret. Secundus apud hebreos liber nusquam est, quia et ipse stilus grecam eloquentiam redolet, et nonnulli scriptorum hunc uideri philonis affirmant. Sicut ergo iudith et thobie et machabeorum libros legit quidem ecclesia, sed inter canonicas scripturas non recipit, sic et hec duo uolumina legat ad edificationem plebis, non ad auctoritatem ecclesiasticorum dogmatum confirmandam. Si cui sane septuaginta interpretum magis editio placet, habet a nobis olim eam emendatam. Nec enim sic noua cudimus ut uetera destruamus. Et tamen cum diligentissime legerit, sciat magis nostra intelligi, que non in tertium uas transfusa fuerint, sed statim de pleno plurissime saporem seruauerint.

Tribus nominibus uocatum fuisse salomonem scripture manifestissime docent: pacificum, id est salomonem, et ididia, hoc est dilectus domini, et quod nunc dicitur coeleth, ecclesiastes autem greco sermone appellatus, quia cetum, id est ecclesiam congreget, quem nos nuncupare possumus concionatorem, quod loquatur ad populum et sermo eius non specialiter ad unum, sed ad uniuersos generaliter dirigatur. Porro pacificus et dilectus domini ob eo quod in regno eius pax fuerit et eum dominus dilexerit appellatus est. Nam et psalmus xliiii. lxx. dilecti et pacifici titulo prenotantur. Qui tamen et si ad prophetiam christi ecclesie que pertinentes felicitatem et uires salomonis excedunt. Tamen secundum hystoriam super salomonem scripti sunt. Ita quoque iuxta numerum uocabulorum tria uolumina edidit: prouerbia, ecclesiasten, canticum canticorum. In prouerbiis paruulum docens quasi de officiis per sententias erudiens. Unde ad filium sermo crebro repetitur. In ecclesiasten uero mature uirum etatis instituens ne quidquam in mundi rebus putet esse perpetuum, sed caduca et breuia uniuersa que cernimus. Ad extremum iam consummatum uirum et calcato seculo preparatum in cantica canticorum sponse iungitur amplexibus. Nisi enim prius reliquerimus uicia et pompis seculi renunciantes expeditos nos ad aduentum preparauerimus, non possumus cantare canticum canticorum. Sed ad hoc diligentius attendendum tres libros ~~audire~~ auctore diuerso esse titulatos. In prouerbiis enim uocatur prouerbia salomonis filii dauid regis israel. In ecclesiasten uero uerba ecclesiastes filii dauid regis israel. insuperfluum est quippe israel hic, quod male in grecis et latinis codicibus inuenitur. In cantico autem canticorum nec filius dauid nec rex israel siue iherusalem prescribitur, sed tantum canticum canticorum salomonis. Sicut enim prouerbia et rudis institutio ad xii. tribus ad totum pertinet israel, et quomodo contemptus mundi non nisi metropolitis conuenit, hoc est iherusalem